

**Theses medicae de abusu medicamentorum mercurialium ... / [Johann Zacharias Thilemann].**

**Contributors**

Thilemann, Johann Zacharias.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Literis Danielis Maagii, [1715]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/awrrz9e5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

73

f. f.

THESES MEDICÆ,  
DE  
**ABUISU ME-  
DICAMENTO.  
RUM MERCURIA-  
LIUM,**

Quas

*Præside Archiatro Summo,  
Authoritate & Consensu Gratiösæ*

Facultatis Medicæ,

*In Alma Argentinensium Universitate,*

**PRO LICENTIA**

*Summos in arte Medica honores & Privilegia  
Doctoralia rite capessendi.*

SOLENNI Eruditorum Examini submittit.

JOH. ZACH. THILEMANNUS,  
Hasso Darmstattinus.

*ad diem 19. Junii Anno M DCC XV.  
Horis locog̃ solitis.*

---

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

V I R O

*Nobilissimo, Excellentissimo  
Experientissimoque*

D N. MARTINO  
TACKIO,

Reipublicæ WORMATIENSIS


Physico Seniori meritissimo, diversorum PRIN-  
CIPUM ac COMITUM ARCHIA-  
TRO felicissimo,

*Patrono Fautori ac Cognato  
suo honoratissimo*


Theses hasce Inaugurales

*sacras esse cupit*

A U T H O R.



## B. L.



Uo promissis meis  
starem, præcedentis scilicet  
Dissertationis, me usui Me-  
dicamentorum Mercuria-  
lium subjuncturum esse  
quasdam Theses de abusu Medicamen-  
torum Mercurialium, paucis his Thesi-  
bus, quantum vires & angustia pagina-  
rum permisere, id præstare volui, quo  
hac ratione heroicis his Medicamentis  
cautius mercari discamus. Quapropter  
DEum supplici prece veneror ut conati-  
bus meis gratia sua adesse, eosque ad sui  
nominis gloriam, proximique salutem  
dirigere velit.

## THES. I.

**H**abent hanc in se quævis generosa medicamenta proprietatem, et si efficacissime juvent in gravissimis morbis, nisi tamen à docta & cauta manu adhibeantur, sæpe insigniter lœdant: cum juxta Ovidium. *Nil profit quod non lœdere possit.* Id quod etiam de Medicamentis Mercurialibus verissimum est, utpote quæ cum noxa exhibita fuisse, plura exempla hinc inde annotata, abunde docent. De noxa itaque Qalium medicamentorum quædam proferemus, ut circa adhibitionem eorum caute mercari discamus, non eum in finem ac si illa explodere vellemus, cum revera Herculeorum morborum sint Herculea medicamenta. Sed ut hisce scopolis monstratis illos in praxi caute declinare & sanitatis naufragium vitare studeamus. Æque enim necessarium mihi videtur nocumenta scire remediorum & cautelas, quam proficuos ipsum effectus, cum Medicina sit scientia juvantium & lœdentium.

## THES. II.

Et primo præmitto illam cautelam quam *Gabr. Clauderus C. N. C. dec. 2. anno 5. obs. 177. p. 358* producit. Medicum si aliis remediis finem suum assequi potest melius & tutius à Qalibus abstinere. Deinde ut certus sit omnino de legitima præparacione. Nisi enim accuratissime tales præparationes fiant, satis est usum Mercurialium relinquere, sunt enim

enim fere semper dubii effectus medicamenta, unde æque damnum ac auxilium accrescere potest, idque quandoque cum famæ cauterio. Producit laudatus Clauderus Magni viri testimonium, & Chymiatri seculi nostri primicerii, qui arcanæ ac genuinæ Mercurium præcipitandi ac figendi methodo avide inhianti hæc candide regerebat: Gloriari possum me inter vivos Chymicos esse seniorem (erat octogenarius) siquidem plusquam annos 50. sedulus consumsi in chymicis laboribus, & hæc primatis cujusdam sumptibus, & numerosa consumpta pecunia, multa utilia obtinui, frustra itidem tentavi multa. In specie aliquot mille thaleros impendi, in enucleando polymorpho isto Mercurio, acquisivi nonnulla, sed impensis neutiquam respondentia. Licet versipellem ejus genium optime cognoverim. Proinde ea qua deceat animi ingenuitate monitum te velim, ut caveas tibi diversas ob causas ab infido & variabili isto vertumno. Hoc testimonium ab artifice profectum in arte sua versatissimo etiam apud nos locum habere debet.

## THES. III.

Effectus Mercurialium sæpius anceps est, ita ut de determinato effectu certi esse non possimus an laudabilem vel sinistrum sit editurus. Hinc ad minimum semper circumspectus sit Mercurialium usus, contingit enim in scorbuticis, hypochondria, cis, & aliis, ubi  $\ddot{\text{O}}$ næ acres particulæ prædominium obtinent ut hic vertumnus Mercurius, sub laudabili veste latens veneni naturam induat & gra-

vissimas in corpore turbas excitet, vix illis absimiles, quæ à Mercurio sublimato corrosivo proficiuntur. Convenientissimum hinc est, corpus ante bene præparare, humores acres contemperare, Mercurialia in minori dosi primitus exhibere, ipsiusque corridentia quadam addere.

## THES. IV.

Nocet præcipue Mercurius cerebro, nervis & nervosis partibus, adeo ut nervorum tonum maxime debilitet; hinc tremores inducuntur, hinc membra paralytica redduntur, hinc dentes vacillant. Experiuntur id suo damno ♂rifabri qui à vaporibus ♀ij tremoribus sunt obnoxii. Ita Hoffmannus Comment. in Poter. quendam ex usu Δα ♀ij anti lypothimia & brachii contractura correptum refert. Notavit Guillelmus Arragosius in epistola quadam apud Zwing. fasc. diff. medicar. pag. mihi 303. si improvi de macilentis, debilibus & languidis Mercurialia adhibeantur, quod his nervos & alias omnes partes nervosas ac solidas resolvant & propriam substantiam collipient. Addit, ita paucos videoas unguento illo Mercuriali inunctos, quos nervorum contractio, patalysis, tremor, continuus dolor & diri cruciatus & brevi tempore mors non subsequatur. Offenditur enim in macilentis corporibus tota substantia nervosa ac demum ipsa ossa ad medullam usque.

## THES. V.

Existimat Primerosius lib. 4. de erroribus vulgi in medicina cap. 29. Mercurium sanguinem coagulare,

lare; forsan suam sententiam hausit à frigiditate quam Mercurius ad tactum habet, cum tamen potius sanguinem & serum viscidum resolvat. Refellit Primerosii sententiam Christ. Frid. Garmannus C. N. C. dec. I. anno I. obs. 148. pag. 323. ubi præter autoritates aliorum scriptorum experimentum adducit in cane factum, dum semiunciam Mercurii vivi venæ crucali canis intrusis, accurate ligata vena nihil tamen mali inde canis sensit. Ex vivo tamen argento carpis applicato mortem secutam notat Olaus Borrichius Act. Hafn. vol. 5. obs. 52. pag. 141. ubi vir Illust. ex febre ardentissima maligna decumbens, spe celerioris sanationis passus est agyrtam suas artes ex promere, hic mirificus Roscius replet duos pulvinos argento vivo currente, pulsibus utriusque carpi alligat, addito promisso, fore ut brevi calor ille febrilis extingueretur. Et vera præsagiit, nam extinctus calor p. n. nativum etiam totius corporis calorem ante exactas 24. horas extinxit. Aliud exemplum eidem Borrichio spectatum; Mercator arthridite & genuum debilitate cruciatus, in ptyalismo spem sanitatis reponit. Haurit aliquot doses q̄ij vitæ, unde ano & cato violentissime purgatus & ad sputandum impulsus, omnibus viribus exuitur totus rigens & quavis glacie frigidior. Vocatus deprehendit manus ægri quasi conglaciatas, pulsum nullum, asthma difficile, solam rationem constan tem, qui & eadem nocte vivere desiit.

## THES. VI.

Mercurialia plane non sunt exhibenda iis ubi virium

virium debilitas jam adeat, tales enim hic Hercules facile prosterneret, in scorbuticis, cachecticis, & illis ubi antiquum viscerum robur deficit, ibi vitalem sanguinis balsamum jam antea debilem suffuratur. Videmus quantæ molestiæ devorandæ qui salivationem Mercurialem sustinent, etiam opere rite & bene procedente, nihilominus viribus frangantur, doloribus continuis & vigiliis enerventur, corpore emacientur ut quandoq; cutis vix ossibus hæreat, ut anxie terminum salvationis anhelent, ut ille quandoque longius ac par est protrahatur, ut finita tandem hac quasi tortura plane debilitati & enervati, nonnisi diurno tempore analepticis & nervinis vires desperitas recipiant, postea quidvis potius quam de novo hanc torturam subituri. Ita Mulier in hac civitate à nutrice male feriata lue  $\text{\textcircled{Q}}$ ea infecta, cum malum hoc latens (quippe talis suspicio morbi in honestam matronam non cadebat) altiores radices diuturnitate temporis egisset, & aliud remedium quam  $\Theta$ vatio non superesset, hac in mitiori gradu & cum maxima cautela adhibita, sub finem salvationis virbus fatiscentibus moriebatur.

## THES. VII.

Ad noxia medicamenta certo respectu referri etiam possunt, illæ Panaceæ & medicamenta catholica, Thrasonicis elogiis quandoque exornata, quæ Panaceæ tanquam omnium morborum averuncæ tantum non in cœlum extolluntur, cum tamen sæpe in tartarum detrudant. Horum enim Panacæistarum pulveres mercuriales illegitime sunt præ-

præparat, vel ad minimum non decenter fixati, ad-  
 de quod plerumque compositionem & præparatio-  
 nem talismodi remediorum summe celent, sibi so-  
 lis tanquam, arcanum, summo ipsorum labore divi-  
 nitus concessum nullo pretio redimendum reservent.  
 Præterquam enim quod omnino securum & tutum  
 non sit, dare medicamenta incognita, de quorum  
 ingredientibus & compositione nobis non constat,  
 qua ratione enim Medicus Dogmaticus methodice  
 morbis & causæ morbificæ remedia opponere que-  
 at, non video, cum ex cognito morbo & cognita  
 causa morbifica, positis indicationibus curativis me-  
 dicamentorum apparatus sit depromendus, quod  
 non nisi ex cognitis & Medico perspectis remediis  
 fieri ex arte potest. Manent enim talia dubii imo  
 quandoque sinistri effectus medicamenta, ut in tan-  
 ta materiæ Medicæ benignioris ac tutioris farragi-  
 ne, ad ejusmodi incognita, dubia imo quandoque  
 noxia confugere non necesse habeamus. Damna  
 inde emergentia, hinc inde annotata prostant. Joh.  
 Georg. Greifelius *C. N. C. dec. I. ann. 3. observ. 48. pag.*  
 79. exemplum de se ipso profert, qui pulverem ca-  
 tholicum tanquam Panaceam ipsi ab alio Medico  
 inculcatum ægro exhibuit. Qui succendentibus gra-  
 viissimis symptomatibus, tandem vix ex orci fauci-  
 bus ægrum eripere potuit. Ubi accedens Medicum  
 laudatorem hujus Medicinæ hoc responsi ab eo tu-  
 lit: Periculum facit expertum Medicum. Quod  
 tamen responsum in Medicum conscientiosum vix  
 cadit, sed potius in Medicinæ spurium, experimen-  
 ta per mortes facere non verentem. Hoc enim

Medicus semper observet. Ita cures ut non noceas.  
Videatur Rosin. Lentilius C. N. C. dec. 3. ann. 5. app.  
pag. 105.

## THES. VIII.

Si in aliquo remediorum genere certe in medicamentorum qualium præparatione, Medico ea adhibituro certo constare debet de legitima præparatione. Pro exemplo sufficiat solum nobis quis dulcis, ubi hic exempla coacervare angustia pagina rum non permittit, videri hic meretur Rosin. Lentibus C. N. C dec. 3. ann. 5. app. pag. 96. qui de eo ita loquitur. Quoties de quo dulci amicissimo mihi & penitus familiari remedio cogito, toties horrore profundor totus. Laudatissimum enim in se remedium, sine quo propemodum Medicus esse nolle, tantas mihi tragœdias excitavit, quantas vel mente concipere quis haud facile possit, sic ut hunc Draconem mitigatum omnino simus immitissimum experti &c. Tanti est legitima medicamenti præparatio, ita ut quandoque ægroti salus, & Medici fama à seduli vel incuriosi Pharmacopœi manu & labore dependeat.

## THES. IX.

In Colico dolore & ileo, utut saepe sit proficuus ejus usus, in illo tamen casu manifestissime nocet, si oriatur ex descensu unius intestini in alterius cavitatem, si nimis superior pars intestini descendat in inferiorem tunc exhibitus Mercurius manifeste illum descensum sua ponderositate augebit ma-

malumque exasperabit, ut & in hoc casu anceps sit auxilium. Ita Joh Franc. *C. N. C. dec. 2. ann. 5. obs. 238. pag. 461.* Mercurii vivi in colica ab hernia lethalem usum adducit, ubi propinatis ʒiiij. vel V. ȝij vivi, Mercurius ob gravitatem quidem deorsum tendebat, ast prolapsum intestinum non modo non retraxit, potius id, ceu in loculum incurrens, magis protrudebat effectu miserrimo, & tandem accedente gangræna & animi defectionibus lethali. Et J. L. Hannemann *C. N. C. dec. 2. ann. 8. observ. 158. pag. 347.* exemplum habet in contumacissima alvi obstructione, propinatum fuisse ȝum ad ȝxj. cum ȝiiij ȝoi amygdal. d. sed sine effectu ægra xvj. horis elapsis extincta, è cadavere modo Mercurius effluxit & aper-to thorace ȝij portio in pulmonibus reperta.

## THES. X.

In arthritide, cum partibus nervosis & tendinosis inimicus sit saepe infauste exhibitus est Mercurius. Exemplum refert Jo. Dolæus *C. N. C. dec. 2. ann. obs. 40. pag. 120.* ubi in milite arthritide vaga laborante, salivatione instituta accedente gangræna omnium oris partium misere obiit: ubi Luc. Schröeck in Scholio in arthridite imprimis vaga turgescientibus humoribus, nec corpore prius satis disposito plenam esse periculi docet. In arthriticis paroxysmis noxiūm potius, quam utilem judicat, Franc. d. l. Boë Sylv. *Pr. Med. app. Tr. 8. §. 171. & seqq.* De Podagra minus feliciter inunctione Mercuriali curata exemplum profert Jo. Georg. Laibius *C. N. C. dec. 2. ann. 2. obs. 157. pag. 362.* ubi adhibito unguento ex ȝo laurino & ȝo vivo,

totum abdomen ad genua usque intensissima inflammatione corripiebatur, cum rubris lituris hinc inde ad alias partes tendentibus, flavis, lividisque pustulis circa scrotum partesque adstitas, qui vix convenientibus adhibitis morti eripiebatur.

## THES. XI.

Particulis suis mobilibus intima quævis penetrat, & sic partibus nervosis & reliquis adhærendo varias molestias introducit. Rarum est quod refert Joh. Paterson Hain C. N. C. dec. 1. ann. 6. obs. 176. pag. 238. argentum vivum in obstrukione pertinacissima ad 3xx. assumptum per sex dies in corpore detentum, demum absque noxa prodiisse. Georg. Heintk aliud exemplum habet C. N. C. dec. 2. ann. 4. obs. 98. pag. 191. Mercurium ad 3x. assumptum per 14. dies in corpore latuisse, muliere sana, quæ his exactis in gynæcæo surgens, totam hausti ejus copiam exclusit, cum risu adstantium, nescientium quid in pavimento se manifestaret. Ex mamma tuis Mercurium stilasse sensim & satis magna copia, per laminam plumbeam eo oblinitam olim imbibitum, qui vicinas partes suo splendore inumbravit, imo ex scapulis integra cute exsudavit, recenset Th. Bartholinus C. I. Hist. 7. pag. 18. Hydrargirum admoto vulneri emplastro adhærentem notavit Jo. Rhodius cent. 3. obs. 87. p. 197. Sic aurifabri & qui crebro sum tractant aut ejus fumum per os & alias vias attrahunt maximo damno experiuntur morbos nervos infestantes. Cardanus de subtilitate habet, aurifabrum Romæ, summos capitis dolores passum obiisse

in

in cuius aperti capitis cerebro plus quam  $\frac{1}{2}$ j.  $\text{\AA}$ ij reperta fuerit, ex vapore ejus hausto ibique conge-  
lato. Item in fœminæ calvaria quæ fucis ex Mer-  
curio quotidie usa, & per biennium enormi capitum  
dolore fatigata fuerat in osse calvariae  $\frac{1}{2}$ j.  $\text{\AA}$ ij inven-  
tas fuisse. Sicuti si in loco clauso exponatur aure-  
um vas & Mercurius supposito  $\Delta$ e evolare permit-  
tatur, totus mercurius qui in auras evanuisse puta-  
batur, simulata fuga in aurei vasis amplexibus hæ-  
rere invenietur experientia Kircheri de arte magne-  
tica, sic non minus in evaporationibus, qui ab arti-  
ficibus peraguntur, attrahitur in nares Mercurius.  
Unde idem concludit, cum Mercurius non raro in  
craniis in sepulchris inveniatur, esse crania talium  
artificum, dum enim circa Mercurium multum sunt  
occupati, non exiguum vaporis partem per nares  
excipiunt, qui in frigidis cerebri cellulis denuo  
congelascit, ut etiam post mortem tanquam in va-  
sculis perennet: conferatur Nic. Guilielm. Becker C.  
*N. C. dec. I. ann. 3. obs. 81. p. 96.*

## THES. XII.

Cingulum Mercuriale externe incaute adhibi-  
tum maximas sæpe turbas excitavit, qua de re po-  
tissimum videri possunt, Raimundus Mindererus  
*Threnodia Medica* cap. 19. ubi prolixè castigat em-  
pyricos, scabiosis audacter hoc applicantes, quod  
tetur illud Mercurii vivi virus in corpus gestantis  
ejaculentur & Philipp. Hochstetterus *decad. 3. cas. 7.*  
damna illorum recenset, qui cingulo isto temere  
ad scabiem sunt usi. Ptyalismum fere lethalem à

cingulo Mercuriali annotavit Paulus Jalon C. N. C.  
*dec. 2. ann. 6. obs. 107. pag. 204.* Lethale hoc cingulum nominat *Thom. Barthol. cent. 3. hist. 79. pag. 156.* si imbecilliores vel morbo vel ætate & cacochymici eo cingantur, unde sedulo cavendum censet, ne neglectis præmittendis, impura corpora & enervia inungantur. Ubi de hujus cinguli usu ulterius agit & exemplum rustici cujusdam profert, qui hoc cingulo diverso successu usus, unde sanitatem quidem obtinerunt, quosdam vero cacochymicos exitio eripere non potuit. Dan. Cruiger. C. N. C. *dec. 2. ann. 4. obs. 16. pag. 45.* refert gemellos dimidium annum natos, subito extinctos, qui mane unguento ex butyro & ♀ij vivi ♂ij. confecto, in inguine dorso & capite semel saltim fuerunt inuncti, atque eodem die alter circa noctem, alter vero subsecente mane è vita excesserunt, ambo convulsionibus epilepticis prius misere excarnificati.

### THES. XIII.

Externe mercurialia applicata gravissimas saepe turbas excitant: notat Joh. Christ. Mentzelius C. N. C. *dec. 3. ann. 5. obs. 204. pag. 463.* in impetigine applicata ▽a mercuriali ex calceviva & ♀io ☿to linteis madefactis ambabus manibus & post duas horas reiterata, circa meridiem supervenisse lypothimias continuas, anxietatem præcordiorum, acutissimos ventriculi dolores, cum conatu vomendi, intestinorum tormenta intollerabilia, cum tenesmo & copiosissima sanguinis dejectione, ut omnes morituram crederent superveniebat saliva continua ex ore effluxus, cum lin-

Jingua humida undique ulceribus latis obsita , gingivæ sanguinem cum dolore fundebant, quæ adhibitis cordialibus alexipharmacis, emollientibus anodynis ægre è cymba Charontis erepta fuit. Petrus Borellus *cent. 2. obs. 92. pag. 187.* habet exemplum de quodam , qui dum scabiei pruritu molestatus, infusione sublimati corpus lavit, unde intra paucas horas vesicæ per totum corpus excitatæ & paulo post syncope & mors proxima fuerit, theriaca confectione Alkermes & aliis cardiacis curato.

### THES. XIV.

Externe adhibitus Mercurius joci impaciens sæpe fallaciam struit : ex faucibus,  $\nabla$ a mercuriali in consulte tactis cœcitatem notavit Olaus Borrich. *Act. Hafn. vol. I. obs. 76. pag. 147.* in muliere ubi imperitus tyro, non expurgato corpore  $\nabla$ a mercuriali fauces quotidie illevit, & hinc ulcera ad male fidam cicatricem perduxit , verum stagnans in glandulis faucium impurus humor , via præclusa infelici metastasi in utrumque ægræ oculum sese violentius effudit, ut malum in funestam cœcitatem degeneraret, nec generosis cederet remediis, subjungit hoc monitum , tanti est methodum in medendo vel ignorare vel negligere.

### THES. XV.

Quæ hic de noxis mercurialium in paucis Thesibus tradidimus non eo collimant, ac si mercurialium usum plane explodere vellemus, sed ut exinde pateat, inter periculi plenas & acerbas ac tædiosas curationes, quæ in foro medico deprehenduntur,

pri-

primarium locum obtinere sum, ut omnino peritum circumspectum & cautum Medicum requirat, imo omni vera circumspectione adhibita, vix aliter quam periculosum remedium appellare possumus. Et tamen videmus, quod dolendum, Mercurium in manus sceleratorum, temerariorum & impostorum incidisse, qui tales curationes mercuriales non in Lue venerea tantum, sed in aliis morbis gravissimis temerario ausu imperiti adhibent, in ægrorum si non perniciem, quod tamen sæpe contigit, manifestum tamen damnum. Est enim Mercurius equo indomito similis si in imperitas manus incidit.

## THES. XVI.

Remedium contra noxas mercurialium censetur. Cum idque vel in ore dentatum, vel medicamentis mercurialibus folia si admixta vid. E. F. Schelhas C. N. C. dec. 2. ann. 3. obs. 159. pag. 306. Cum diaphoret, cuius peculiares effectus contra noxas sij trinis exemplis probat Joh. Georg. Volckamer C. N. C. dec. 2. ann. 2. obs. 190. pag. 421. Contra tremores membrorum à sio ortos commendat radicem fœniculi, helenii & bardanæ Hermannus in Cynosura pag. 32. decoctum rad. pimpin saxifragiæ laudat Olaus Borrichius Act. Hafn. vol 2, obs. 79. pag. 196.

F I N I S.